



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. VII. Argumentum. Calypsus admiratio, conarus eum retinendi in insula. Cupido à Venere missus in auxilium. Mentoris monita. Telemachi in Eucharin propensio, indeque Calypsus æmulatio, ira, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

lam hanc tuam tam benignè admissi, tam benignè accepri fumus.

TELEMACHUS.

LIBER VII.

Postquam Telemachus se hac narratione expedit: Nymphæ mutato obtutu, quem in iuvene defixerant nec corporis motu eatenus interpellatum, inter se aspicerere, dehinc loqui cum stupore cœperunt: Ecqui tandem hi Diis tam dilecti homines? ecuius ad aures umquam pervenerunt tanta fatorum prodigia? ab Ulyssè vitam accepit. At tu à nato tuo incrementum facundia, sapientia, fortitudinis, genitor, cape! quæ moribus compositio. Quæ ori species? quàm leniter perseverantes vultus? quæ modestiâ? & (quod primum) quæ agendi nobilitas? quam apta ad excelsa indoles? nisi constaret ex mortali genitum, error vix sit, aut æternæ iuventutis Bacchum, aut Maiaæ filium, aut Apollinem credi. Et Mentor iste quis est? ad rudem obscuramque plebem eum obtuitus simplex amandat; acrior autem & ex propinquo quid nescio divini in illo reveretur.

Hi ferè sermunculi turbavêre Deam, ut nec præsentis pavor eius fefellerit. A Mentoris ad Telemachi, ab hoc ad illius vultum divertebat inconstans oculus. Interdum hortabatur, ut, quæ narrasset, ordiretur de integro; paulo post idem destitit petere, suo ipsius interciso sermone. Ad ultimum repente digressa loco, in quo federat, myrtis confirum nemus sola intrat cum Telemacho: scrutatur ex eo, quantum licebat Divinæ
faga-

sagacitati, num mortali forma Numen quoddam Mentor absconderet? Sed quis ab ignaro notitiam? Certiora docere percontantem hospes non poterat. Prosequebatur Minerva itinera eius Mentoris habitu. At hoc ipsum manifestum esse nolebat hac ætate iuveni, difficilius utique celaturo, si rescivisset, Divinum consilium. Per extrema porro discrimina tentatum ibat iuvenilem animum. Audacissimus ergo futurus erat, & ad ultima quæque interritus, si Minervæ præsentiam non ignorasset. Itaque credita à Telemacho, esse, cuius præferabat habitum, nequibat ullo Calypsûs studio prodî.

Dum ita Calypso agit cum iuvene, Mentor quæstionibus, à Nymphis animi gratiâ propositis, obruitur. Alia, quæ itineri eius ad Æthiopes coniunxisset fortuna; alia quid vidisset Damasci, percontabatur. Fuit etiam, quæ rogaret, num quis ante decennale bellum ipsi cum Ulysse fuisset usus? omnibus ab ipso placidissimè responsum, & simplicibus verbis, nihilque miræ suavitati eius detrahentibus. Sed occupabat sermonem, quem miscebant, maturior Divæ cum Telemacho reditus. Hæc, tum puellis ad colligendos, cantûque iuveni eximendam diei moram dilapsis, cum Mentore divertens in partem, conabatur tam solitario congressu non tantum respondendi, sed sermonis etiam communicandi necessitatem afferre. Lenissimi vapores illi, quibus soporem Morpheus creat, haud sese mitius insinuant ingravescentibus palpebris ac debilitatæ laboribûs industriæ, quàm blandimenta Divinæ vocis ad deliniendum Mentorem. Ceterum numquam Diva non sensit, esse in hoc homine superius quid omni eo, quod pos-

H ; ~~██████████~~ fet

set ipsa vel viribus vel illecebris. Ut enim prærupta cautes frustra tentatur humano vestigio; ventisque illudit potius quàm obsistit, si aut vicina aut altior nubibus: ita inutilissimè Calypso tentabat obfirmatam ad celandum se Mentoris constantiam. Is quippe apta simulatione eam admittebat quandoque in spem, cumulatis interrogatiunculis implicitum proditurum simpliciter, quæ tegebat animò. At vix ingressa in eam hæsit, omnibûs, quæ iam credebat manifestò tenere, vel unicâ Mentoris responsiunculâ recidentibûs in caliginem dubiæ suspicionis.

Ita dies absumpti à Dea nunc adhibitis Telemacho blanditiis, nunc rationibus inveniendis, quibus alienaret à Mentore discipulum, posteaquam toties delusa magistrum sibi apertum desperaverat fore. Ergo ut primis amantium igniculis ad illecebras rude etiamdum iuvenis pectus libaret, servitio eius ex Nymphis destinat, quarum excellebat forma; accessitque huic furto ingens à maiori numine, quam erat ipsa, auxilium.

Venerem, perseverante adhuc dolore, quem spreto apud Cyprîos cultu eius Mentor & Telemachus inusserant, vehementius tum cœpit affigere, quòd ambo ex procellis plectendæ temeritatis illorum concitatis sine noxa evasissent. Iovem certè convenit gravissimîs querelîs. Et ille celans, iuvenem Minervæ præsidium habuisse Mentoris habitu, lenisque modico risu, copiam facit indignanti Divæ omnes persequendi vias, quibus sibi videretur ad vindictam posse pervenire. Ergo illa delabi Olympo; negligere odores, quos aræ Paphiæ, Cythereæ, Idaliæque Numini Eius exhalant; volare

volare curru iugalibus columbis; accersere Cupidinem, & (percurrente os Divinum mæstitia, ex qua vel ipsa decus formosissimæ accedat) in hæc verba affari.

Vidésne, nate, homines, quibus potentia tua despectui, mea ludibrio est? ecquis numen nostrum adorabit in posterum? i, tela habes; amborum corda (ferrum sint licet) feri. Hanc in insulam mecum delabere. Quæ agenda, ex me nunc Calypso percipiat. His dictis exceptam aurea nube vectamque per aërem tellus & Calypso accipit, quæ tum forte ad marginem fontis paulò longiùs à specu sua nulla comite secesserat. Itaque Venus:

Miseram te Deam! ab Ulyssè spreta, spernèris ampliùs ab Ulyssis filio. Sed ecce! tibi subsidium & vindictam ipse properat, amoribus qui præest, Deus. Hunc accipe. Patere illum cum Nymphis tuis esse; nam & in Naxo (insula) liberi patris pueritiam curârunt Nymphæ. Puerum credet Telemachus, qui hîc genitus & innoxius sit. At faxim, ille quid valeat, ne ignoret diu. Hæc Venus. Mox evehente nube, qua descenderat, tollitur; odore, qualem ambrosia reddit, per circumiecta Calypsûs nemora recessûsque diffuso.

Remanebat itaque puer in Calypsûs amplexu. Non potuit non hæc, quamquam Dea, sentire ignes, qui iamiam tentabant sinus. Erat ex Nymphis proxima Eucharis. Huic, ut frangerentur primi huius repentini caloris impetus, tum Veneris pignus dedit, consilio deinde millies damnato. Equidem inter initia consuetudinis eius nihil in hoc puero apparebat, quod aut emendaret innocentia, aut mansuetudo, ipsaque venustas non

amaret. Nihil eo candidius, nihil blandius. Crebræ lepidæque assentatiunculæ, oris tenerrima perpetuâque iucunditas non nisi lata intuentibus promittebat. At vel ipsa blandiendi exordia incautè admittentibus inspirabat incognitum virus. Adulabatur simulator nequiculus, ut deciperet; nec solvebatur risu, nisi aut machinatus pestem, aut machinaturus. Abstinebat Mentōris congressu. Invisa erat leviculo gravitas ignoti viri, quem sentiebat numquam obnoxium futurum vulnere, posteaquam omnia amoris tela hebetasset. Nymphas verò celeriter flamma corripuit, excitata manu puerili impōnentis speciē; curabantque, ne fatalis plagæ indicium fauciatus animus evolveret.

Interea Telemachus puerulum inter Nymphas lusitantem conspicatus, visâque pulchritudine eius paulò infra stuporem affectus; adductum in amplexus nunc sinu nunc brachiis fovet. At dum cervici innectitur, dum admiratur, sentit minùs rectè habere animum. Causam huius rei per scrutari non valuit. Incerta & arcana voluptate eò liquefcebat magis, quo innocentiores captabat ex consuetudine tam teneræ ætatis iocos. Viden' has Nymphas? ad Mentorem aiebat. Ut abeunt à moribus Cypriarum mulierum! pulchritudinem illarum ex Cypro aperta libido deformat honestis oculis. Præfentes formas, præterquam quod extingui non valent, ipsa innocentia, ipsa modestia, ipse candor commendat intuentibus. Comitabatur has voces rubor, loquentis vultui incertâ tunc ipsi causâ suffusus. Nec tacere poterat; nec, quæ erat orsus, persequi. Ceterùm ipse sermo eius aliàs interruptus, aliàs obscurus, atque etiam deflectens à sensu.

Tum

Tum Mentor cum gemitu : Equidem periclitabar in Telemache, in Cypro ; at quanto nunc magis in hoc insula, ubi vel ignoras te periclitari. Damnantur immania flagitia ; horremus apertam impudentiam. Venustas autem, quæ procax non fit, ipsa continentiam agendi nocet liberius. Dum amatur illa, virtuti studium credas impendi. Interim malè securus animus ad pravæ cupiditatis illecebras defluit, occultas, donec ferme ad frenum occaluerunt morâ. Fuge ! fuge has Nymphas, Telemache, tam indulgentes tuo arbitrio, ut circumveniaris expeditiore fallacia. Fuge tuæ scopulos iuventutis ; maximè autem hunc, cui blandiebaris, puerum. Quis fit quantusque, ignoras. Amorum Deus est, à Matre Venere hinc depositus loci ad vindicandam iniuriam, quam illi inferebas spretò apud Cythereos sacrificiò. Calypso (cave sis) tacta pueri manu, amat te ; amat, quidquid puellarum est circum amantem dominam. Quid ? quòd ipse ardes, dum nec tepere putas animum.

Plerumque interpellabatur à Telemacho Mentor : quæ hinc proficiscendi ratio ? Ulysses vixit, & nisi fallor, diu est, cum undæ hauserunt naufragum. Scilicet desperato meo patrisque reditu Penelope adhucdum una illam phalangem procorum sustinet, & Icarius, quam genuit, etiamnum iubet recusare alterius nuptias, atque in id usque temporis periclitari. Et tu filium cogitare mones de reditu, intuiturum, si revertar, genitricem aut impudentis Antinoi aut importunioris Eurimachi spoliū, innexamque alienis amoribus post profanatam, quam genitori spondit, fidem ? Oblita est Ulysses Ithaca. Mortem afferet, non sceptrum re-

vertenti filio. Portus intrare non licet nostræ insulæ. Occupantur illi amantium manu, ne certius perire venturus non debeam.

Ita argutatur (Mentor aiebat) inconsulta cupiditas, quæ adinveniendis commodo suo rationibus perspicax, cæcutit ad argumenta, quibus erroris convincitur. Armat ingenium nugacissimâ solertiâ, ut ipsa imponat sibi, & obtundat stimulos afflictæ conscientiæ. Nonne beneficia recordaris à Diis tanto numero, tanta æstimatione exhibita, ne extra patriam perires? quàm mirabili fato eripuere te Siculis? & Ægyptiacæ probrum servitutis quàm subita fortunæ quàm felix submovit mutatio! iam futuris à Pygmalione calamitatibus, numquid Divina fuit, quæ te præripuit manus? tot tantisque prodigiis in tuam unius salutem consumptis ignoras scilicet, quid fata destinaverint tibi. Ignoras autem? imò & dignus es, qui ignores. Ego infelices hos locos defero; quo modo? inveniam. Tu verò tam provido, tam magnanimo satore inconsulta, vilis progenies harum in amplexu muliercularum perge effœminari! i, trophæa gloriæ tuæ immortalis heros & semi-Deus græciæ inter puellas constitue. Agedum, quod cælum, quod, velut inferius gloriâ suâ, tuus damnavit genitor, exsequere!

Hæc convitia ferrea Telemacho fuere. Namque & peracutè iis movebatur, & pudentissimo dolore exarsit, plurimùm sollicitus, ne offenderet, néve amitteret virum tanti consilii, & servatorem sui. At verò totus aberrans à se tunc novitiô desiderio, extra cuius ipse erat notitiam: Ergone, cum fletu inquit, hili à te ducitur oblata manere volenti

im-

immortalitas? imò, Mentor ingerit, minoris hild, quidquid virtus, quidquid averfantur pii. Virtus te in patriam, & ad genitorum tuorum aspectum revocat, damnâtque, vesanæ cupiditati quod paras, obsequium. Dii verò, quorum beneficiò prorsus immortalî tot casibus terrâ marique superstes paternum nomen & gloriam adæquabis, iubent te ex hoc sinceræ gloriæ exilio discedere. At tyrannus ille plenus ignominia, amor unus retinebit te, Vah! quid Telemacho cum vita immortalî, sed fervili, sed sterili virtutis & gloriæ? vah vitam morte ex ipsa immortalitate longè deteriorem!

His muto gemitu responsum à iuvene. Aliàs optabat, ut ex loco tam fatali Mentor vel nõlentem abstraxerit. Aliàs pœnitebat eum temporis, quo etiamdum Mentorem cernebat versari in insula, juvenili fragilitate monitorem amicum, gravem tamen iamiam exosa. Hæc tum in iuvene fervebat cogitandi discordia, aliud atque aliud nunc admovente nunc obtrusis recentibus elidente animo, ut mens nulli rei diutius insisteret; ferè sicut alia atque alia fluctuum mutatio ventorum vicissitudinem in mari consequitur. Interdum littori omnibûs artubûs exporrectum corpus affixit. Subinde illatus intimis saltuum latebris amaro indulgebat fletui, edito clamore, quem rugitum credidisses, membrisque omnibus miserabili macie arescen-
 Recedentes sub fronte oculos igneus quidam ardor exedebat. Pallor, animi abiectio & panè desperatio, deformitas Telemachum Telemacho abstulerat. Illa venustas & oris gratia, ille lepor festivæ indolis, nobilis illa & quæ natos ad altiora decet, ferocitas decesserant. Vidisses flosculum,

lum,

lum, cuius explicatum sub orientem solem apparatum elegantiae & odores late diffusos matutina tam tempora admirantur, extinguit vespera. Eluitur varius quàm illustris color: vigor eximitur: succus exhauritur: maiestas verticis debilitatô, quod eum sustineat, deprimitur. Ita ablatis, quæ seu ornant seu conservant iuventutem, neci admovebatur Telemachus.

Neque latebat Mentorem, alumnum suum paulatim obsecundare violentæ cupidini. Itaque periclitanti statuit cavere consideratiore consilio. Observaverat, Deam impotenti iuvenis amore percussam; ipsum verò iuvenem in Nympham, quàm Eucharin suprâ diximus, propendere. Atque hæ Cupidinis sunt artes. Ne sine supplicio amet mortalitas, id agit per crudeli ingenio suo, ut nulla ferè amantis apud amatum sit gratia. Mentor ergo datâ operâ constituit Telemachum Deæ suspectum reddere de alienis amoribus. Scilicet Eucharis rogata fuerat à iuvene, venatum deduceret. Tum Mentor commodè admotus Calypsûs alloquio: Venandi studium, inquit, quod huc usque aut non fuit aut me fefellit, alumnum meum mirum in modum, imò & in nauseam trahit ceterarum oblectationum. Solis montibus, saltuúmque recessibus gaudet, & ipsis adeò, quorum horridior facies aliàs delicatam iuventutem consuevit repellere. Tuúmne, o Diva, Numen ardorem hunc iuveni?

His illa vocibus dolentiùs perstricta, quàm ut silentio exciperet: Iuvenis hic, inquit, adhuc contemptor voluptatis, illius etiam, quæ Cyprum effeminat, nunc mediocribus unius femellæ & pedif-

pedissequæ meæ ornamentis blanditur. Illène iactare suarum prodigia virium, quem vilis adedò indignaque voluptas debilitat? quem non videntur nisi ad ancillarum servitutum destinasse fata? nihil iucundius erat Mentori, quàm hæc luculenta ex æmulationis ægritudine Calypsûs perturbatio. Vocem non addidit, ne diffidentiae aperiret locum. Afflicti duntaxat & dolentis vultu mærentem aspexit. Itaque Diva hospitem nihil celabat præsentium, quæ molestiam sibi conflarent; nec ex querelis emergere poterat muliebris dolor. Ut autem Mentor certiora de venatione illa sermoni intulit: tum verò in rabiem cœpit efferari, & penitus à se ipsa discedere. Neque enim dubitabat, Telemachum id genus relaxandi animi poposcisse, ut digressus in diversa sine arbitris compellaret Eucharin. Itaque cum ab amantibus iam etiam secunda decerneretur venatio: Calypso satis certa, Telemacho rursus magis de irretiendis animis quàm feris agi, ut amatorium hoc furtum præverteret, enuntiat, se unà processuram in sylvas. At puncto temporis victa præcipiti dolore, his vocibus cœpit in iuvenem debacchari:

Huc ergo, vecordissime iuvenum, tua te egit temeritas, ut & illatum à Neptuno naufragium, & inferendum ab iratis Diis supplicium, utrumque iustissimum, effugeres? anne potius, ut in regno hoc meo, in regia hac mea, vestigiis mortalium æterna lege fatali, potentiam meam illuderet, benignitatem profanaret? huc Olympi, huc Stygis numina! audite mortali sacrilegio profanatum infelicem Deam! hoc perfidiæ, hoc ingrati, hoc monstrum impii animi quid cessatis disper-

disper-

disperdere? patre tuo non solum immanior, sed longè etiam multòque malificentior primò omnia illius mala diurnitate ferrea, ærumnis horribilia, deinde his etiam asperiora velim persentiscas, Ithacam tuam pauperulam & diabolarem, faxo, numquam, numquam (Deæ vota si quid possint) aspicias, ex quo tu eam ipsi adè immortalitati, proprio cœlestibus dono, non erubuisti præponere. Imò aspicias, sed à longinquo, & iamiam periturus iniuriæ meæ ultricibus aquis. Tum verò corpus tuum expulso ingratiſſimo spiritu, postquam fati fuerit iactatum immani ponto, has in arenas vindictæ meæ administri fluctus eiiciant, futurum nullo sepulcro volucris spoliū. Ut pascam hos oculos, cum flagitiorum tuorum participes artus impuri vultures diripient! cum funesto spectaculo adesse cogetur vel ipsa, quam desperis miser! cum in partes divulsum cor turpissimi huius cadaveris dotem extradam infelici amasiæ! tum desperabit, contabescet; mihi verò inde salus, inde spes nova felicitatis suscitabitur.

Hæc vociferantis ardebant inflammati oculi: errabant obtutus crebro celerique motu & inusitata quadam caligine trunculentiâque efferati: inhorrescentes genæ fœdum in modum livescebant intercurrente nigrore. Momentis singulis alius in amentis vultu respondebat color. Subinde toto ore unus pallor isque recentis funeris apparebat. Quæ modò prodigebantur, rariùs manabant lacrimæ, ardore animi in rabiem desperationemque adducti forsitan exorbente, quidquid humectare dolentis vultum poterat. Vix adhuc per moras & singulæ cadebant. Vox delapsa ad ravim interpellata

pellata tremore, iugulatôque spiritu iterum atque iterum intermissa. Mentor nihil hoc articulo rerum non observabat. Ceterum perditâ toties operâ ratus Telemachum collocandum inter depositos, deinceps ab eo sermonem abstinuit. Adiectis tamen subinde oculis commiserationem testabatur.

Contra iuvenis stimulantē conscientia se reputans indignum, quem Mentor diligeret; non movere, non attollere oculos audebat, ne scilicet in obtutum amici inciderent, cuius vel silentiô damnabatur. Nonnumquam erecta cupiditas invadendi in collum eius, ut quantum pœniteret commissi erroris, ostenderet. Sed aliàs absurdus eam pugor restrinxit, aliàs inconsulta religio, ne amplius pœnitentiæ dolor ostenderet, quàm utile fuisset amanti tam dulce periculum. Neque enim obtinere à se potuit, ut nuntium remitteret desiderio, ex animi cæcitate amplius nocituro.

Dii, Deæque in Olympo convenerant. Nihil consulebant in medium. Fixi duntaxat in insula Calypsûs oculis suspendebantur eventu, quod Minervæ cum Cupidine erat, certaminis. Iste ludibundus cum Nymphis, quidquid in insula capax erat amandi, accenderat. Illa Mentoris specie æmulationem, æternam amoris comitem, adhibebat in telum. Iovi sine partium studio & otiosè spectare pugnam fixum erat.

Inter hæc Eucharis ad roboranda vincula, quibus Telemachi animum induerat, nunc autem, ne ob ingens à Calypso periculum iisdem exiret, verebatur, universis artibus ingenii sui incubuit. Secundo ad exagitandas feras contenditur. Illa assumpto Dianæ habitu, novisque ab amantium

Diis

Diis in eam diem aucta lenociniis, admirationem dempserat Calypsus pulchritudini. Dea certè simul è longinquo in eam intuens, simul in fonte ante ceteros pellucido formam suam speculata, erubuit; antrique sui postremissimum angulum subiens, cœpit occultis questibus se ipsam deflare:

Ergone amantes non obturbavi, pronuntiatis etiam verbis, me unà processuram in fylvas? quid agam? procedamne? scilicet præsentia mea formosulæ illi triumphum, afferat? species mea incrementum alienæ venustati adiiciat; & ex vultu meo Telemachus ignibus in illam suis alimentum legat? miseram me! vah! quid feci? ratum est: non procedam; sed nec procedent ipsi. Impedire Dea noverim. Mentorem adeo: amasium auferat; Ithacæ reddat. Hæc postulabo virum. postulabo autem? quid Calypso post oblatum Telemachum? ubi sum? quid restat? Venus! vah immite! vah non amandum amoris Numen! tu me decepisti. Perfidam! vah perfidam donantis manum! & tu Cupido pestifer! scilicet bene mihi ut sit cum illo Græculo, te hoc admisit peccus. Quot nunc perturbationibus tu istud obruis, desperationibus quot laceras? alienatæ à Domina famulæ. Ecquid mihi Divinitas? nimirum ne mea non æterna sit miseria. Morte utinam finire dolores immortalis queam! at tu certè, me malè vivâ morieris Telemache! feram supplicium, à quo ferre non potui gratiam. Præsentè formosulâ tua, hac cades manu. Sum! quid statuis Calypso cæca, misera? cadere tua manu innoxius, & qui per te hîc volutatur ad ultima? ego, ego has in iuvenem castissimum immisi faces. Quanta innocentia! probitas! horror flagitii!

giti! ad illecebras quam difficilis animus! hæcine ego inficere? depravare? at enim deseruisset me. Imò & nunc me aut deserat, aut scientem spernat necesse est, unius æmulæ meæ mancipium. Rea sum. Quæ merui, patior. i, Telemache! proficere! naviga! desere afflictum hoc Calypsûs numen! quod nec tolerare vitam, nec subire mortem potest. Relinque Eucharidis tuæ feroci insolentiæ Deam oppletam luctu, opertam ignominia, iactatam desperatione.

Hæc antri sui rupibus querebatur. Inde repente se auferens, & cum amentis impetu: heus Mentor! inclamat; itane tu protegis innocentiam alumni tui à vitiorum assultu? in tuam, iuvenisque perniciem vigilante Cupidine indulges soporatae ignavia? adeò remissè, adeò perinde iuxtaque ad omnia, quæ aguntur, per me non habebis te amplius. Quid? illustrissimum fatum suum pace tua negliget à patre degener Ulyssis filius? tibi ne an mihi formandam vitam eius genitores commiserunt? ego infanienti remedia, quæ possum, adhibeo; tu cessas? ecce tibi in interiori huius nemoris recessu in eximiam altitudinem editas populos! non aliæ aptiores ædificandis navigiis. Ipse Ulysses suam, qua ex insula profectus est, ibidem struxit. Imò caverna profunda est ibi loci, in qua reperies, quidquid navium partes cædendæ, secandæ, componendæ petunt.

Simul eorum, quæ præceps lingua effuderat, secuta sed inutilis pœnitentia. Mentor quippe nec momenti interpositâ morâ progressus ad cavernam, quam Dea indicaverat; omnia fabricandæ navis subsidia reperit: cæsaque materiâ, tam

strenuè perfecit opus, ut potuisset eadem adhuc luce fluctus pati. Tam exigua tempora Minervæ potentiam industriamque vel summa molientem circumscribunt.

Calypso in incredibiles cruciatus data. Trahebatur hinc desiderio inspiciendi successum à Mentore suscepti operis; hinc cupiditate frequentandæ venationis propterea invicta, ne liberrimam Telemachi copiam Eucharidi absentiam faceret, aut extra conspectum amantes essent; id quod rivalibus intolerabile. Magno itaque studio illuc deflectebat insistentes feris, ubi Mentorem sciebat vacare operi. Securis impigrè admota, malleique afflicti exsonabant; captansque eos arrectis auribus Dea ad singulos ictus intremuit: simul cœpit timere, ne in meditandis ab opere fragoribus anxie hærentem adiectum à Telemacho ad puellam signum nutusve fefellisset.

Interea Eucharis ad comitem suum irridentis voce: Eho! nondum palpitas, inquit, castigandus scilicet à Mentore ob excussas ipso non conscio sylvas? næ tu miser es & miserabilis mihi tam rigido magistro discipulus. Lapideum hominem, & omnium, quibus oblectantur ingenui animi, inimicum! Aversatur, quæ iucunda tibi: punit, quæ innocentia dignetur præmio. Fuerit moderatus tuam adhuc pueri balbutiem. At iam senilem in te prudentiam miramur. Quid pateris magistrum incuntis pueritiæ?

His cum fraude dictis sauciatus Telemachus, vehementer aversari Mentorem eiusque disciplinam cœpit usque adeo, ut aucto amore libertatis metueret, ne occursum magistri interPELLARETUR?

Nym-

Nymphæ porrò nihil respondit, perturbato animò. Tamque venationi satis quamquam utrinque haud umquam liberè vacatum. Reditur præcipite in noctem die. Emersere ex sinu nemoris, contingente locum, ubi diem Mentor dederat parando itineris auxilio. Quo præcul viso, caligo oculos Calypsus invasit, qualem in morituris deprehendimus: deserebant vacillantem succussa genua: totum corpus gelidum sudorem extruserat. Coacta denique in Nymphas, à quibus cingebatur, fessos artus demittere, Eucharin, admoventem manum, ut exciperet, reiecit cum atroci contuitu.

Navem ipse quoque Telemachus aspexit. Mentore autem exactâ operâ ante digresso, quàm redirent à venatu; cui hæc esset navis, cui parata? Deam rogat, atque illa non idonea, ut continuò responderet, dilato aliquantis per sermone, tandem: parata hæc à me (inquit) est avehendo hinc Mentori. In posterum molesta tibi non erit huius amici severitas, impediens, quò minùs felix; & laboraturi ex invidia, si immortalis sis. Tum verò juvenis acutiore lamento: quid? me Mentor deferere? actum est de Telemacho. Eheu! rapto Mentore te præter, Eucharin, nil restat mihi.

Has voces vehemens affectus abstulerat iuveni; quàm non bene, nec iam ipsum latebat. Sed is erat imperus animo, ut integrum non fuerit dicenda meditari. Omnibus stupor, magnùmque silentium. Eucharis data in igneum ruborem; non loqui, non progredi ausa; demisso vultu, inter ultimas constitit; gestiens ceteroquin animò, quamquam frontem pudor occupaverat. Telemachus penitus ereptus sibi, linguam suam non

credebat de tanta temeritate convinci posse. Somnio res similis ei videbatur, sed pudendo, & turbas invehenti in animum.

Calypso longè quàm læna raptis catulis furore incitator, se in medium nemus, non viæ, non termini habita ratione abripuit. Tandem delata ad antrum suum, excipitur à præstolante Mentore. Quo conspecto: auferte vos hinc, detrimento quietis meæ in hanc insulam eiectioni advenæ! apage procul insanum hunc iuvenem! nisi actutum abstraxeris, offensa Dea quid possit, vecors senecio senties. Nec ego deinceps aspiciam, nec à puellis meis aut verbo aut aspectu interpellari Græculum sinam. Ita per aquas Stygis nec à Diis violandas iuro. Tu verò, Telemache, malorum tuorum adesse finem ne credas. Abibis ab insula mea, ingrata, in nova sortis ludibria. Vindicabor. Ut affliget te meî, sed inutile desiderium! Neptunus ob nondum reparatam, quam à patre tuo apud Siculos accepit, iniuriam, Venerisque à te læsæ preces aliud capiti tuo naufragium parat. Videbis patrem tuum, adhuc superstitem. Videbis, nec cognosces tamen. Sed nec in Ithaca salutabis priùs, quàm tela, fulminaque sua in te uno fortuna consumpserit. i! Deos Deasque omnes ultores mei adiuro. O si te infixum acuto scopulo, transfixumque trifulcâ flammâ inutili prece obtestari me, insultaturam malis tuis, iuberent Dii!

His, quamquam tanta contentione iactatis, iam aliud parabat substituere decretum lubricus Deæ animus ab iis, quæ proposuerat, planè alienum. Amor proscriptum detinendi iuvenis desiderium

revo-

revocavit. Vivat, Dea inquit, & mecum vivat! curas pro se meas, erit fortasse, ut aliquando agnoscat juvenilis animus. Ab Eucharide solùm amari, à me etiam immortalis esse potest. Inconsultam Deam! ut te sacramenti ipsa decepisti fide! capta es. Spem Telemachi adiuratae Stygis aquae mergunt. Hæc Calypso voce non pertingente ad alienas aures. Ceterùm furias credidisses in vultum eius commigrasse, atque indignantis corde exhalari, quidquid pestiferum Cocytus tegit.

Exanimavêre ista Telemachum; notavitque Dea rivalis amoris ingenio, quo nihil argutius. Itaque accedebat robur ex juvenis trepidatione impotenti Deæ cupidini. Bacchidis more, aërem implentis ad Thraciæ iuga allisis ululatibûs, grassata per sylvas, adesse Nymphas iubet, atrociter adiectis minis, hoc iaculo (quod ferebat manu) perituram, quæ renuisset sequi. Trepidare famulæ, gregatim concurrere, advolare. Ipsa Eucharis festinabat multo fletu, oculis procul, emissis in Telemachum, cuius alloquio deinceps non sustinebat frui.

Concussa totis artubus Dea præ indignatione, cùm latus eius subiret Eucharis. Tantùmque abest, ut æquiores se dederit, quod Nympha modestissimè exhibebat, obsequio, ut magis innovârit capitale odium; tum utique, cùm videret concinnè lenitèrque mœrenti ex ipso dolore adiuventum venustatis accedere.

Interea hospites sine arbitris relictî. Telemachus Mentoris amplexus genua (quippe nec sollicitare brachia eius audebat, nec intueri in vultum) maximo, miserabilique fletu sermonem moliebat.

tur. Sed hæsitans lingua fandi copiam magis magisque implicuit. Quid faceret, quid vellet, aberrans à mente ignorabat. Ad ultimum: Mentor! pater! exclamat interiectis suspiriis: Telemachum tuum libera ex hac abyſſo malorum. Deferere te non possum, non possum sequi. Extrahe tot ærumnis alumnum tuum. Imò ablatâ vita extrahe Telemachum à Telemacho.

At Mentor amplecti afflictum, solari; confirmare; & qua sibi quisque ratione ferendus, non palpandus sit, docere. Fili sapientis & adhuc à Diis amati Ulyſſis (hoc mœrentem verbo compellabat!) Deorum beneficia sunt tot tantâque mala, quæ pateris. Nondum extra temeritatem est, quem de fragilitate impotentiâque sua non convicit affectionum suarum experientia. Sibi enim ipse ignotus adhuc est, & de diffidentia sui, qua sine sapere non licet, securus. Ecce ad extrema quasi manu Dii traxere te, ut quantum tibi nocere possent, non velint, ostenderent. Intellige igitur, quod nisi experti haud umquam intelligunt. Equam fecissem tibi fidem exponens Cupidinis perfidiam, docensque, cum blandiri, ut feriat; dulcescere, ut acerbissimè affligat? vidisti lepidissimum puerum, inter risus, iocos, gratiâsque advectum. Abripuit tibi cor, & gaudebas abripuisse. Aliud causabaris ex alio, ut crederem scilicet te expertem, quo laborabas, vulneris. Satagebas me fallere, & sine metu indulgebas tibi. Hem tristissimum tuæ temeritatis eventum! nunc mortem quæris, unicum quippe ærumnosæ sortis tuæ remedium. Furit perturbata Dea; uritur Eucharis, deterior ponendis in rogo. Armantur in mutuas

cædes

cædes Nymphæ amorum invidiâ. En! quantum sæviat perfidi Cupidinis simulata lenitas! Agedum! quas nondum hic locus perdidit, virtutis tuæ reliquias collige. Agnosce eximium à Diis beneficium, quod simplicissimam tibi aperit viam ab inimico, Cupidine, ad amicos, ad dulcissimos genitores revertendi. Calypso te vel invita eiiciet. Parata navis est. Quin avolamus ex isthoc virtutis exilio?

Inter hos monitus prehensum manu Telemachum trahebat ad littus, haud ferme sequentem, & reiecto vultu. Quippe Eucharin adhuc contemplabatur; quæ cum averſa recederet, saltem adstrictam elegantem comam eius, multo sinu profluentes vestes, incessumque placidè ferocem extremis oculorum iactibus carpebat, largissimò desiderio figendi ultimum osculum amicæ vestigiis. Eà denique extra conspectum ablatâ, aures adhibuit, eò motas, ubi videre Nympham desierat, quoniam persuadebat opiniosa cupiditas, inde vocem dilectæ allabi. Quid? quòd vel absentem intuebatur, obversante oculis specie, tamque acriter admovente ipsam, ut communicare sibi & accipere verba crederet. Adeò penitus alienatò animò ad Mentoris sermonem obsurduit.

Redditus tandem sibi ex hoc lethargo: ibo, ibo, inquit. Fixum, ratum est. At nondum valere Eucharin iussi. Ne vivam, si istud non præstitero. Ingratus fuerim. Exspecta sis, dum ultimos à me intuitus, & extrema ah! extrema verba accipiat. Certè permittes, ad eam ista me pauca: Migrare, Nympha, iubent iniqui & felicitati meæ invidentes Dii. At vitam prius, quàm tuâ æternam memoriam Telemacho eripient. Da, obsecro, hoc

tam pium, tam iustum solatium; aut vel nunc me
mori iube. Me hercle nec deinceps in hac insula,
nec in amoribus hærebo. Non amo, non diligo.
Præter benevolum & gratum animum Eucharidi
nec cassam nucem defero. Verbulum unicum, nec
nisi semel dicam: vale. Satis hoc mihi. Tum ne
punctulo interiecto temporis sequar te: abibo;
avolabo.

Næ tu miserabilis es mihi (Mentor reponit) quem
amoris sui ignarum facit rabiosa amoris infania.
Bellè habere te putas; & desideras mori. Cupidinis
victorem te iactas, & in viribus tuis non est, Eu-
charidi ne non adhærescas mancipium. Hanc in-
tueris, hanc audis. Ad cetera hebetati oculi,
captæ aures. Scilicet ægrotare se delirantes ex
febri ignorant, iactantque nihil debere Æsculapio.
O te improvidum! parabas abdicare Penelopen,
ambientem redeuntis nati amplexus, eiurare ge-
nitorem Ulysses, quem tibi restituet Ithaca, de-
larura sceptrum tibi; renuntiare gloriæ, illustri-
simæque ac tot Deorum tua unius causâ patratâ
prodigiis luculenter promissæ forti. Hæc tu di-
mittere? tot, tantâque? & dimittere, ut Diis, ut
hominibus cum Nympha tua vilescas? euge! etiam
nunc nega te amare, & pertinaciter amare. Dic,
quæ res tantos in tuum animum turbas, & ipsum
ad eò moriendi desiderium? cur tanta contentione
agebas apud Deam? non fraudis, non simulationis
te arguo, sed, quòd cæcutis adhuc, defleo. Fuge,
Telemache, fuge. Vincit Cupidinem, qui fugit.
Is hostis est, cui tunc fortiter resistimus, si time-
mus & fugimus, atque ita, ut nec fugæ præmit-
tamus consilium, nec iungamus oculi semel averfi
pceni-

pœnitentiam. Iuventutem tuam quàm inde ab in-
eunte ætate curaverim, ne nunc quidem ignoras.
Neque fieri potuit, quin te huc usque admone-
rent, quibus prosperè meo consilio es perfunctus,
horribiles casus. Ergo aut fidem Mentori, aut
perinde eius discessum habe. Scias utinam dolo-
rem meum, quo futurum exitium tuum aspicio!
utinam & illum, quo urebar inde, cùm sermonem
tecum sociare non audebam! minùs profectò do-
luit, cùm te eniteretur, Penelope. Silui tamen:
ærumnam concoxi: oppressi gemitus eo consilio,
ut experirer, ad me num sit reversurus meus Te-
lemachus. Fili! ah dilecte fili! calamitosum hoc
pectus meum leva. Redde, quod præ medullis
amo. Quem amisi, Telemachum mihi redde. At
simul redde te tibi. Vivo, valeo; tuos inconsul-
tos ignes si vincet sapientia. Secundùm hanc nisi
amaveris, vixi.

Interea Mentor initam ad mare viam urgere
non destitit; & Telemachus quamquam mollior
adhuc, quàm ut potuerit suis viribùs sequi, iam tum
satis erat confirmatus, ne saltem ducenti resiste-
ret. Imo cum Minerva, numquam dimissa Men-
toris specie, Ægidem modo oculis non patente op-
poneret iuveni, cœlestémque radium circumfun-
deret, robur cliens sentire cœpit, quantum num-
quam inde à prima in insula Calypsus mora. Post
tot tantásque luctas ventum denique ad locum, ubi
præceps in salum littus incumbit, præruptis saxis
cotibùsque, ob nunc leniter nunc vi adactas undas
identidem spumosis. Inde prospecturi erant à Men-
tore confectum navigium, an nemo sua statione
deduxisset. Cùm in tristissimum spectaculum inci-
dunt.

Cupido ab ignoto sene & rerundi sua tela, & abduci Telemachum videbat. Quare præ indignatione solutus in lacrimas, sectari cœpit per interiora nemorum errantem Deam. Quam cùm invenisset, respicientem in ipsum cum gemitu & ex præsentia sua revulsis amandi vulneribus amentem prior ipse affatus: Dea es, inquit, immortalis es; & vinci te pateris à mortali, captivo, & si velis, mancipio? tūne illum dimittere? Contra acriter invecta Dea: apage (exclamat) pestifera consilia tua, infelix puer! Dulce otium meum & integrum obruisti, & me quantâ miseria! actum est de me. Dimissum iri Telemachum iuravi per Stygem. Id sacramenti nec ipse violaverit, quanta quanta virtute potentiâque Deorum pater. Ex insula mea te aufer Telemache, & tu, mihi plus illo malefice puer!

Extergebat ad hæc Cupido lacrimas improbæque & cavillantis risu: Rem, inquit, plane difficilem! Sine tamen. Tu omnino dimittito Telemachum; servato, quam styge interposita iurasti, fidem. At nec famulas tuas, nec me adstringit hæc religio. Auctor ipsis ero, ut comburant tam strenuè à Mentore exstructam navim. Ita vetuli industriam, quæ obstupescit te, eventus destituet; & ipse tum demum obstupescit aliud eripiendi tibi juvenis subsidium nequidquam requiret.

Hæ Cupidinis blanditiæ insolenti gaudio mixtam spem in intimos recessus Divini animi induxere. Excitata deploratis rebus eius, extincta desperatione, fiducia; id agens, quod ad rivi marginem frigiduli Zephyri gregibus, quos vapor solis exhaustit. Reddita mutatæ fronti aperta lætitia, oculis

lis lenitas, animo tot curis exeso improvisa & de non redituris malis velut certa quies. Hærebat inter modicum risum: palpationibus obruebat petulantissimum Amorem; at simul novos dolores invitabat.

Iamque Cupido, victa muliebri credulitate vehementer lætus, consilium suum Nymphis persuasum ibat. Dispersæ per montes notasque sylvas palabantur ovium ritu, quas famelici rabies lupi ex pascuis dissipavit fugâ. Igitur à puero rursus coactæ, atque his confirmatæ verbis: Telemachus adhuc in vestra potestate est. Ite, & à temerariose paratam fugæ navem actutum exurite. Illæ properare faces, ruere ad littus, concitari æstro, vociferari, dissipare crines, & infanientium more Baccharum concutere. Iamque volant sursum evolutæ flammæ: consumitur navigium aridâ & pice illitâ materiâ: procellæ fumi igniumque torquentur ad nubes.

Conspexit è rupe Telemachus cum Mentore; auditoque Nympharum ululatu, reprimere à voluptate animum non potuit, necdum satis, quod nocuerat, exosum, & subinde æstus suos prodentem ad instar ignis malè sopiti & cineribus cohibiti; idque juvenilium affectionum haud rudis Mentor advertit. Ceterum intuens in regionem Telemachus, quæ fumabat incendio: ecquid vides, inquit, alumnum tuum retrudi in casses? Cum nave consumpta spes abitûs.

At Mentor satis gnarus, eum nihil ad voluptates, si remansisset, firmiorem futurum: omnem moram pestiferam censuit. Fortè aspexit navigium, quod longiùs ab insula hæsitans in alto se
con-

continebat nautarum metu; quippe haud ignorantium Calypfus oram mortalibus fatalem esse. Cùm ecce Mentor vi maxima impulsus Telemachum ex capite scopuli, in quo assidebant, in subiectum mare præcipitat; ruentem ipse altero assultu præceps consequitur. Terribili lapsu toto animo percussus iuuenis, ingentem vim immitis ad gustum aquæ admittebat in oblucentes fauces, corporisque non satis potens adigebatur in fluctus. Redditus autem deinde sibi, visoque Mentore manum afferre in natandi auxilium, nihil porrò moliebatur animò, nisi ut se ab hoc infelici loco removeret.

At Nymphæ iamiam ovantes certissima fiducia retinendi utriusque alienigenæ, cùm viderent neutrius fugam fisci posse, provecæ in rabiem, acutissimis clamoribus littus complevère. Calypso ereptis, qui potuissent sustentare solitariam, depressa in ultimum mœrèrem antro suo inferebat miserrimos eiulatus. Contra Cupido desinente in tantum ludibrium victoria sua, enixus sublatiis alis, in Idaliæ lucos, ubi Venus reditum eius operiebatur, contendit; puer matre sua haud paulò crudelior, totùmque fructum sui in insula laboris ponens in eo, quòd excitata à se mala fociato cum eadem risu meditaretur.

Ceterùm Telemacho, quò longiùs provehebat ab insula, eò vis prior animi propiùs leniùsque cum pristina in virtutem propensione se admovit. Ergo notabili vocis alacritate: Quæ tu, Mentor, inquit, auribus meis amabas occinere, ex nullo rerum usu adhuc incredulis, nunc assequor. Vitium fuga eaque sola superamus. O insigne Deorum

rum beneficium, qui te, mi pater, adiutorem laborum meorum constituerunt! Æquum erat, iustumque, me privari tuô auxiliô, mihiq̄ue & voluntati meæ relinqui. Iam non mare, non venti, non procellæ mihi terribiles sunt. Cupiditates solas perhorresco. Amor præ universis pelagi malis metuendus.

TELEMACHUS.

LIBER VIII.

IN Epirum Tyrii emiserant, quæ in alto morabatur navis, futurum adnatantibus auxilium. Vectores Telemachum, cùm rediret ex Ægypto, conspexerant; sed tum medio fluctuantem pelago non agnoscebant. Ceterùm ubi primùm ab iis exaudiri Mentor potuit, exerta suprâ aquas cervice, ultimâque facultate clamandi: o piissimî & omnium gentium evergetæ! o Phœnices! vitam quam à vobis sperant, duobus miseris date. Per, quos colitis, Deos in navem vestram utrumque admittite, sequemur, quocunque illa terrarum tendet. Eia verò! natantibus acclamabat, qui moderabatur navi: ambo admittemini. Non ignoramus, quid expectare à nobis peregrina & (ut viderur) tanta miseria debeat. Protinûsque recipiuntur à nautis.

Illati in navem mox omnibus artibus obtorpuere, impedito scilicet spiritu, quem diuturnus labor obluentibus pelago concitaverat. Recuperabant autem paulatim vigorem suum. Vestes datæ sunt; quippe, quibûs ipsi erant induiti, im-

missis